PROPOSITIONES

DE IURE NATURALI, AC REGIO CASTELLAE, ET INDIARUM,

DEFENDENDAE

A. D. JOANNE LINDO ET ZELAYA

Sub disciplina

D. D. IOSEPHI MARIAE ALVAREZ

Iuris Civ. Profes.

GUATEMALAE

M.DCCC.IX.

Apud Arevalo.

SANCTUS ALOYSIUS GONZAGA

VITAE INNOCENTIA CLARISSIMUS
IUVENIS EXEMPLO ADOLESCENTIBUS PROPOSITUS,
VNIVERSITATIBUS PATRONUS
SI LIBUERIT CONCESSUS
A BENEDICTO XIII,
QUI ALOYSI PASIBUS INSISTENS
EIUS EXEMPLO COMMOTUS
NATIVUM SPLENDOREM EXUENS
INDUERAT SOLOCEM
CUI

Si alia amoris documenta grata videantur, litteraria tamen gratissima, quod cum vivos inter degebat proficue scientias coluerat, eidem has prolusiones Iuris devoti animi argumento consecrat *D. Ioannes Lindo et Zelaya.*



S. ALOYSIUS GON.

Grab.ª p.r J. C. Cop.ª

En Guat.ª R. â 1808.

EX LIBRO IV. INSTIT. IURIS CIVILIS.

AD TITULUM I.

DE OBLIGATIONIBUS QUAE EX DELICTO NASCUNTUR.

§. I.

DE DELICTIS IN GENERE.

DElicti nomine intelligimus: factum illicitum sponte admissum quo quis ad restitutionem si fieri possit, et ad poenam obligatur. (1)

Factum illud quandoque ex dolo, sive directa nocendi intentione ortum ducit, et tunc *verum delictum*; quandoque ex culpa, vel negligentia, et tunc *quasi delictum* nuncupatur. (2)

Quocumque delicto vel immediate publica violantur iura, vel privata: si primum, delitctum adpellatur *publicum*, si secundum *privatum*. (3)

Haec iura sunt, quae privatorum honori, ac patrimonio prospiciunt; illa vero, quae rem, et causam publicam spectant.

Talia sunt Summi Imperantis maiestas, hominum vita, civitatum patrimonia, viarum nocturna, diurnaque securitas, instrumentorum fides, coeteraque quibus commune bonum est illigatum.

In horum numero collocavit Indorum indemnitatem, Regum Catholicorum benevolentia (4)

Demum

(1) arg. Prol. tit. 1. P. 7. (2) l. 1. tit. 31. P. 7. (3) l. 28. et tot. fere tit. 1. P. 7. (4) ll. 1. et seq. tit. 10. lib. 6. Rec. Ind.

Demum delicta quaedam sunt mere ecclesiastica, videlicet contra fidem, aut religionem admissa: quaedam saecularia, quae praecipue adficiunt rempublicam: et quaedam mixta, quae tam religionem quam rempublicam offendunt. (5)

Effectus delictorum est, ut duplex inde nascatur actio: prima, qua damnum nobis sarciri petimus, rei persequutoria: secunda, qua poenam exigimus, poenalis dicitur. (6)

At vero in omnibus delictis, sive ad rem, sive ad poenam pecuniariam consequendam actio intendatur, civiliter agi dicitur: si autem ad poenam corporis adflictivam, ad publicamque vindictam, criminaliter.

Poenae autem nomine venit, cuiusque mali passio ad delictorum imposita purgationem, et vindictam. (7)

Aliae vocantur *capitales*, quae vitam naturalem, vel civilem tollunt, e. gr. suspendium, vivicomburium, deportatio, cet. (8)

Aliae *non capitales*, quae vita non privant, veluti infamia, fustigatio, exilium, damnatio ad operas publicas, dignitatis privatio, cet. (9)

Illis plectuntur graviora, aut iterum, atque iterum repetita crimina: istis autem minus gravia, ac semel perpetrata. (10)

At multoties utrarumque crescit, aut decrescit modus prout criminum fert convictio, vel insignis cir-

(5) arg. l. 58. tit. 6. P. 1. (6) arg. l. 25. tit. 1. et 18. tit. 14. Partit. 7. (7) l. 1. tit. 31. P. 7. (8) arg. l. 4. eod. (9) ead. l. 4. (10) l. 6. eod. tit. 31. P. 7.

circunstantiarum concursus. (11)

Iam vero delicta quibus privata iura proxime violantur sunt: furtum, rapina, damnum iniuria datum, et iniuria.

§. II.
DE FURTO.

Furtum est contrectatio fraudulosa rei alienae, lucrifaciendi causa invito domino facta. (12)

Datur etiam furtum usus rei, vel possessionis eius, quando quid horum contra domini voluntatem usurpatur. (13)

Cuiusque autem rei furtum fiat, aut sola est ablationis malicia inquinatum, et *simplex* nominatur, aut ulterioribus delictis est consummatum, et tunc *qualificatum* dicitur. (14)

Ulteriora haec delicta esse solent forium effractio, murorum ascensus, armorum portatio, tempus nocturnum, locus sacer, rei gravitas, ac tandem actuum repetitio. (15)

Simplicis furti poenae sunt: delinquentem probro adficere, flagellis caedere, in exilium per sexcennium, vel decennium eiicere, et coeterae non capitales. (16)

Qualificati vero semper capitales, raro tamen decernitur ultimum suplicium pro laxa saeculi in deterius ruentis disciplina. (17) Iuxta

(11) ead. l. 6. (12) l. 1. tit. 14 P. 7. (13) l. 3. eod. tit. et 13. tit. 13. lib. 3. For. Reg. (14) ll. 7. et 8. tit. 11. lib. 8. Rec. Cast. (15) ll. 18. tit. 14. P. 7. 7. et 9. tit. 11. lib. 5. Rec. Cast. (16) Dict. ll. et Reg. Decret. 18. April. 1746. (17) ll. 18. in fin. tit. 14. P. 7. et 7. tit. 11. lib. 8. Rec. Cast.

Iuxta partitarum leges furtum in manifestum, et non manifestum dispescitur, huius vero divisionis, sicut et poenae dupli, et quadrupli illi impositae, hodie nullius usus est. (18)

Demum et res immobiles velut praedia publica, et inculta sub furtivam saepe cadunt occupationem: ista autem vitio vertetur possessori, ne ad compositionem admittatur. (19)

AD TIT. II.
DE VI BONORUM RAPTORUM.

RApina est violenta rei alienae mobilis ablatio lucrifaciendi causa dolo malo facta. (1)

Igitur eatenus conveniunt furtum, et rapina, quod utramque delictum in dolosa rei alienae mobilis contrectatione, consilioque lucrumfaciendi consistit: sed in eo differunt, quod furtum clam, rapina, vi committatur. (2)

Qui autem rem immobilem invadit, non raptor, sed invassor adpellatur, ac pro delicti qualitate diversimode punitur. (3)

Neque etiam qui rem non suam, sed quam suam esse putabat vi eripuit, rapinae reus est: non tamen impune id fert, qui sibi manu ius dicit, nec Iudicis expectat auxilium. (4)

Cau-

(18) l. 2. tit. 14. P. 7. (19) ll. 14. et 17. tit. 12. lib. 4. R. Ind. (1) Prol. et l. 1. tit. 13. P. 7 (2) ll. 1. tit. 13. et 1. tit. 14. Partit. 7. (3) l. 10. tit. 10. P. 7. (4) arg. 1. tit. 13. et dict. l. 10. tit. 10. P. 7.

Cautum enim est, ut qui rem suam alteri vi extorqueat, dominium istius rei amittat: si vero aliena reperiatur, post restitutionem, eius aestimationem praestare teneatur. (5)

Poena raptorum si civiliter agatur, est triplum eius quod raptum est: si vero criminaliter, veluti furti qualificati rei sunt puniendi. (6)

Gravi denique animadversione digni sunt viatores, qui indis, aut portuum incolis vim inferunt, victum sibi providendi causa. (7)

AD TIT. III. DE LEGE AQUILIA

HOc nomine intelligimus legem quamdam vindicantem omne damnum iniuria datum. (1)

Damnum vero iniuria datum est omnis patrimonii nostri deminutio nullo iure facta, et quidem à libero homine. (2)

Perinde igitur est, sive dolo malo, sive culpa lata, levi, aut levissima damnum detur, cum aequum sit quamlibet rei nostrae iacturam nullo iure illatam sarciri. (3)

Hinc legibus nostris cavetur, ut si damnum datum sit occidendo servum, pecudes, aut alias quadrupedes ex his quae gregatim pascuntur, teneatur occidens ad praestandum quantum, ea res eo anno proxime elapso, plurimi fuerit. (4)

Si

(5) ead. l. 10. (6) l. 3. tit. 13. P. 7. (7) ll. 26. tit. 3. lib. 6. et 64. tit. 15. lib. 9. Recop. Ind. (1) l. 18. tit. 15. P. 7. (2) ll. 1. et 5. eod. tit. (3) ll. 6. et seq. eod. (4) l. 18. eod.

Si vero damnum in alia re, quam servo, vel pecude consistat, sive occidendo, sive quovis modo corrumpendo datum sit, competet actio domino, ut ei quanti res intra triginta superiores dies plurimi fuerit, praestetur. (5)

Moribus tamen nostris, non ita damnum spectatur, sed solum ad id quod interest, praestandamque veram rei lessae, aut deperditae aestimationem agitur.

Actio vero nulla erit si damnum casu inferatur, aut ab eo qui iure suo utitur. (6)

AD TIT. IV.
DE INIURIIS

INiuria hic accipitur prout significat: quodlibet dictum, aut factum ad alterius contumeliam dolo malo directum. (1)

Cum ergo iniuria in dicto vel facto consistat, erit verbalis, si per verba contumeliosa, aut realis si facto aliquo, vel etiam scriptura, aut pictura alterius existimationem laeditur. (2)

Ubi nullae sunt circunstantiae, quae iniuriam adgravent dicitur *simplex*: *atrox* vero quam circunstantiae graviorem reddunt. (3)

Poenae iniurianti infligendae regulariter arbitrio iudicis relinquuntur, persona, tempore, loco, cet. perspectis. (4)

Debet

(5) ead. l. 18. (6) ll. 6. et 14. tit. 15. P. 7. (1) l. 1. tit. 9. Partit. 7. (2) ll. 1. 3. et 6. eod. tit. (3) l. 20. eod. (4) l. 21. eod. tit.

Debet autem esse pecuniaria si civiliter agatur, et quidem praevia actoris aestimatione coram judice facta: si vero criminaliter, pro arbitratu vel pecuniaria, vel corporali poena mulctabitur iniurians. (5)

Verum utraeque hae actiones aestimatoria scilicet, et criminalis sese mutuo tollunt, ideoque cumulari minime possunt. (6)

Nonnullae tamen sunt iniuriae quae certis in iure statutis poenis puniuntur, veluti illae quae famoso fiunt libello. (7)

Hic nihil aliud est quam scriptura qua quis alteri crimen aliquod infame, vel capitale imputat, quamque in publicum dolo malo sparsit. (8)

Igitur qui famosum libellum componunt, scribunt, aut casu repertum aliis ostendunt, eadem poena mortis, exilii cet. puniendi sunt, quae crimini adscripto respondet. (9)

Qui alterum offenderit, eum vocans *gafo, sodomitico, traidor*, aliisve similibus convitiis, ad palinodiam, seu recantationem adigendus est, ac pecuniaria poena mulctandus. (10)

Si iniurians fuerit nobîlis palinodiam non canit, sed mulcta pecuniaria augetur, et alia simul poena secundum personarum, et conviciorum qualitatem punitur. (11)

Actiones ex hoc delicto descendentes expirant praescriptione, remissione sive expresa, sive tacita,

 quae

(5) Dict. l. 21. (6) l. 21. tit. 9. P. 7. (7) l. 3. tit. 9. P. 7. (8) ead. l. 3. (9) dict. l. 3. (10) l. 2. tit. 10. lib. 8. Rec. Cast. (11) ead. l. 2.

quae ex familiari cum reo consuetudine colligitur, ac morte tum inferentis, tum iniuriam passi, nisi lis cum defuncto contestata sit. (12)

Demum indorum iniuriae, ac rixae id peculiare habent, quod iudicii ordinarii processum non ferant, sed solius summarii. (13)

AD TIT. V.
DE OBLIGATIONIBUS QUAE QUASI EX DELICTO NASCUNTUR.

Quasi delicta, quae veris opponuntur delictis, sunt facta illicita sola culpa eaque non aliena, sed propria, et sine dolo admissa. (1)

Igitur ea omnia partim ex obligationum imperitia, partim ex negligentia in earum executione plerumque ortum habent.

Tale est in primis factum iudicis, qui ex imperitia vel imprudentia male iudicavit: quare damnum omne parti illatum sarcire tenetur. (2)

Si vero Iudex imperitus adsessorem consuluit, si in ferenda sententia erraverit, non ipse, sed adsessor de damno dato convenitur. (3)

Quod ad Americam spectat iudices, et adsessores aeque tenentur in rebus quas gubernativas vocant: vulgo *asuntos de gobierno*. (4)

Deinde

(12) ll. 22. et 23. eod. tit. 9. P. 7. (13) l. 10. tit. 10. lib. 5. Rec. Ind.. (1) Prol. Partit. 7. et l. 1. in fin. tit. 31. P. 7. (2) l. 24. tit. 22. P. 3. (3) Reg. Sched. 22. Septemb. an. 1793. (4) Reg. Sched. 2. Iul. an. 1802.

Deinde ex quasi delicto tenentur habitatores aedium sive domini, sive inquilini ob deiecta, vel effussa à quocumque de familia, quibus dammum datum est praetereuntibus. (5)

Datur ergo actio iis quibus nocitum contra dominum, vel inquilinum aedium ad praestandum duplum, si damnum sit aestimabile. (6)

Si vero inaestimabile velmti si liber homo occissus, in quinquaginta aureos actori et fisco adplicandos: vulneratus autem in impensas et id quod interest. (7)

Quasi delinquit etiam, qui aliquid supra eum locum quo vulgo iter fit, suspensum vel positum habet, cuius casu alicui noceri possit, vel nocitum sit. (8)

Ex hoc etiam quasi delicto datur actio cuivis è populo adversus eum qui possuit, vel suspendit ad decem aureos marabotinos actori adplicandos. (9)

Quasi ex delicto demum competit actio in duplum adversus nautas, caupones stabularios ob damnum in rebus viatorum vel hospitum ab aliquo de familia irrogatum. (10)

AD TIT. VI.
DE ACTIONIBUS.

ACtio in statu civili considerata: est medium legitimum

(5) l. 25. tit. 15. P. 7. (6) Dict. l. 25. (7) ead. l. 25. (8) l. 26. tit. 15. P. 7. (9) ead. l. 26. (10) l. 7. tit. 14. P. 7.

gitimum persequendi in iudicio iura, quae tum in re, tum ad rem cuique competunt.

Praecipue actionum divisiones sunt I. in reales, personales, et mixtas. II. in rei persequutorias, poenales, et mixtas. III. in eas quibus solidum, et quibus minus consequimur.

Actiones reales sunt illae quae competunt habenti ius in re, contra quemcumque pocsessorem rei. (1)

Itaque cum ius in re nascatur vel ex dominio vel ex hereditate, vel ex servitute, vel denique ex pignore totidem erunt actionum realium fontes. (2)

Ex dominio oritur in primis rei vindicatio quae datur domino contra possessorem ad rem cum accessionibus, fructibusque secundum qualitatem possessionis restituendam. (3)

Cum vero qui vindicat, dominium probare teneatur, id que difficille sit, inventa est actio *publiciana* dicta, quae datur ei qui rem à non domino, bona fide, et ex iusta causa accepit, iterumque amissit, contra possessorem, qui infirmiore iure possidet. (4)

Recissoria demum est beneficium restitutionis absenti, metus, necescitatis, vel reipublicae causa concessum, contra possessorem qui interea rem eius usucepit. (5)

Ex

---

(1) arg. ll. 2. tit. 3. et 1. tit. 28. P. 3. (2) arg. ll. 1. tit. 28. P. et 1. tit. 31. P. 3. 14. tit. 13. P. 5. et 7. in med. tit. 14. P. 6. (3) ll. 40. 41. et 42. tit. 28. P. 3. (4) l. 50. in fin. tit. 5 P. 5. (5) l. 28. tit. 29. P. 3.

Ex iure hereditario tamquam altera species iuris in re, nascuntur duae actiones: videlicet hereditatis petitio, et querela inofficiosi testamenti.

Prima datur heredi ex testamento, vel ab intestato, adversus eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet, ad id ut heres declaretur, et hereditatem accipiat. (6)

Querela inofficiosi, est actio qua descendentes, vel adcendentes aut fratres exheredati rescindunt testamentum, quoad institutionem heredis. (7)

Occasione servitutum nascuntur duae actiones confessoria scilicet, et negatoria: prima servitutem vindicat: secunda libertatem naturalem tuetur. (8)

Ex iure pignoris datur actio hypotecaria nuncupata, creditori competens contra debitorem, vel alium, rem oppignoratam possidentem ad illam persequendam. (9)

Actionibus in rem maxime adpropinquant praeiudiciales: eae nimirum in quibus de statu hominis disceptatur. (10)

Personales actiones quod spectat, omnes ex iure ad rem, sive obligatione ortum habent, atque adversus eum solum dantur quo cum nobis negotium intercessit. (11)

Igitur hae actiones, sicut et obligatio omnis, partim ex aequitate, partim ex facto obligatorio proficiscuntur.

Ex

(6) ll. 3. et 4. tit. 14. P. 6. (7) ll. 10. et 12. tit. 7. et 1. et 2. tit. 8. P. 6. (8) arg. l. 21. in med. tit. 22. P. 3. (9) l. 11. tit. 13. P. 5. (10) l. 20. in med. tit. 22. P. 3. (11) arg. l. 33. tit. 5. P. 5.

Ex sola aequitate procedit actio ad exhibendum id quod interest, veluti rem quam nostram credimus, aut testamentum, aliamve scripturam in qua utilitatem introspiscimus. (12)

Eodem fundamento nititur actio interrogatoria, qua reus compellitur actori respondere de iis sine quibus lis, aut ordiri, aut expediri nequit. (13)

Huc etiam spectant restitutiones in integrum, quibus negotia quae stricto iure rata esse deberent rescinduntur iusta interveniente causa, veluti vis, metus, minor aetas cet. (14)

Ex facto obligatorio nascuntur actiones tam ex contractibus, quam ex delictis: cum vero earum enumeratio satis prolixa esset, quaerenti explicabuntur.

Mixtas dicimus actiones, quae descendunt partim ex iure in re partim ex iure ad rem, licet realibus, vel personalibus propius accedant.

Tales sunt actiones familiae erciscundae, de communi dividundo, et finium regundorum, quae competunt, vel ad dividendam hereditatem, aut aliam rem communem, vel ad hoc ut fines, sive termini agrorum confinium regantur. (15)

His videtur similis actio pauliana competens creditoribus quorum in fraudem debitor res suas alienavit, adversus eos qui haec bona possident ad illa cum fructibus restituenda. (16)

Altera actionum divisio est: quod aliae sint rei per-

(12) ll. 16. et seq. tit. 2. P. 7. (13) l. 1. tit. 10. P. 3. (14) ll. 56. tit. 5. et 28. tit. 11. P. 5. et 1. tit. 19. P. 6. (15) ll. 2. et 10. tit. 15. P. 6. (16) l. 7. tit. 15. P. 5.

persequutoriae, quibus persequimur id quod è patrimonio nostro abest: aliae poenales, quibus persequimur poenam reo impositam; et aliae mixtae quibus utrumque.

Ex poenalibus actionibus aliae in simplum, vel in duplum: nonnullae etiam in triplum, aut in quadruplum à legibus conceptae sunt. (17)

Ea vero divisio hodie in foro nullius usus est, sicut et illa qua in actiones bonae fidei, stricti iuris, et arbitrariarum dispertiuntur.

Ultima actionum divìssio est: quod aliis solidum, scilicet totam rem quam petimus: aliis minus quam solidum consequimur.

Solidum ordinarie omnibus actionibus adipiscimur: excipiuntur tamen nonnullae in quibus minus.

Ita accidit in actione de peculio, quippe quae adversus patrem, vel dominum competit in id tantum quod in peculio est. (18)

Minus etiam quam solidum ob compensationem consequimur cum haec summam debitam pro quantitate concurrente ipso iure minuat. (19)

Demum idem ius est in iis qui beneficio gaudent competentiae, id est privilegio quodam personali, ob necessitudinem, aequitatem, vel commiserationem quibusdam concessum, ut nequeant in plus conveniri, nisi in quantum commode possunt. (20)

Competit igitur parentibus, patronìs, fratribus, sociis,

(17) ll. 3. tit. 13. et 18. tit. 14. P. 7. (18) arg. l. 5. tit. 17. P. 4. (19) ll. 20. et seq. tit. 14. P. 5. (20) l. 1. tit. 15. P. 5.

sociis, coniugibus inter se agentibus, donatariis, ac demum iis, qui bonis cesserunt. (21)

AD TIT. VII.
QUOD CUM EO QUI IN ALIENA POTESTATE EST NEGOTIUM GESTUM ESSE DICITUR.

Quamvis ex facto alterius, alteri nec obligatio nec actio nascatur: aliud tamen obtinet circa filios familias, servos, negotiationibusque praepositos ob repraesentationem personae cuius nomine agere intelliguntur.

Obligantur ergo pater, et dominus ex contractu filii vel servi, si iussit, negotiationi praeposuit, vel peculium dedit, aut denique, si in rem eius versum est. (1)

Si itaque filius vel servus iussu domini contraxerunt, oritur actio ei quocum negotium inierunt adversus iubentem in solidum. (2)

Si patres vel domini non iusserunt quidem, at filium vel servum negotiationi maritimae, aut terrestri praepossuerunt datur actio contra eos, quae exercitoria aut institoria nominatur. (3)

Prima competit iis, qui cum filio aut servo magistro navis contraxerunt, adversus patrem, aut dominum exercitorem, ad contractum ab illis initum adimplendum. (4)

Ad

(21) ll. 1. et 15. tit. 10. et 1. et 3. tit. 15. P. 5. (1) l. 7. tit. 1. P. 5. (2) l. 7. tit. 21. P. 4. (3) dict. l. 7. (4) ead. l. 7.

Ad eumdem finem institoriam acttionem habet is qui cum institore, sive tabernae praeposito contraxit, adversus praeponentem. (5)

Cum etiam pater filio, vel dominus servo peculium dedit ut in eo negotietur, si aes alienum contraxerunt, tunc creditores habent actionem contra patrem vel dominum, ut solvant peculio tenus (6)

Demum cum aequitati adversetur alterum cum alterius damno fieri locupletiorem: hinc oritur actio de *in rem verso*: id est, de eo quod necessario vel utiliter impensum est â filio, vel servo in rebus patris, vel domini. (7)

AD TIT. VIII.
DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

ACtio noxalis vocatur illa quam instituunt, quibus á servo damnum datum, contra quemcumque servi possessorem, et quidem alternative, ut aut damnum sarciatur, aut servus noxae detur: id est laesso in satisfactionem tradatur. (1)

In America vero cum iure novissimo servi ipsi ex suis delictis conveniantur ac si liberi essent, actiones noxales extra usum sunt. (2)

Crimìne igitur coram iudice delato, citatur, atque auditur Syndicus civitatis, necnon et servi dominus, nisi illum ante litis contestationem derelinquat. (3)

C Poe-

(5) l. 7. eod. tit. 21. P. 4. (6) arg. l. 5. tit. 17. Ps 4. (7) ll. 5. 6. et 7. tit. 1. P. 5. (1) ll. 4. tit. 13. et 5. in fin. tit. 15. P. 7. (2) Reg. Sched. 31. Maii an. 1789. Cap. 9. (3) id. Cap. 9.

Poena demum reo imponitur quae delicti gravitate, ac circunstantiis correspondet, ac eadem qua liber homo plecteretur. (4)
Si autem dominus servum in sua potestate retineat, damna, aut poenam pecuniariam in qua condemnatus sit, solvet, praeter corporalem servo pro qualitate criminis infligendam. (5)

AD TIT. IX.
SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR.

PAuperies in iure adpellatur, damnum quodcumque à quadrupede datum sponte, et non instigatu, contra naturam generis sui. (1)

Competit igitur actio ei cuius interest adversus eum qui tempore litis contestatae quadrupedis dominus est, ad id ut vel damnum datum resarciat, vel animal noxae dedat. (2)

Si vero laessus ipse bestiam irritavit, nullam damni illati satisfactionem petere potest: sin alius, contra instingantem dabitur actio non haec, sed de damno iniuria dato. (3)

Bestiae mansuetae non hoc tantum modo, sed et secundum naturam sui generis nocere possunt, olera videlicet, aut gramina depascendo. (4)

Si ita damnum dederint, competit actio adversus

---

(4) dict. Reg. Sched. cap. 3. et 9. (5) id. cap. 9. (1) l. 22. tit. 15. P. 7. (2) ead. l. 22. (3) dict. l. 22. (4) l. 24. tit. 15. P. 7.

sus quadrupedis possessorem, ut illud sarciat, aut noxam tradat: sin vero dominus ipse bestiam immisit; in duplum damni dati. (5)

Non potest tamen agri dominus animalia ibi inventa occidere, aut vulnerare: idque solum indis specialiter est concessum. (6)

Cum vero in ipsorum agris plerumque animalia noceant, cautum est, ut pecuaria tam armentorum quam pecudum satis ab oppidis distent, utque domini tot pecuariorum numerum constituant, quot sufficere possint ad damnum vitandum. (7)

Denique qui leonem, verrem, aprum, vel similem feram male custodivit, et ideo damnum dedit, in duplum condemnatur, si sit aestimabile. (8)

Si vero inaestimabile veluti si liber homo occissus, in ducentos marabotinos aureos: sin autem vulneratus, in tantum quantum aequum videatur: aestimatis nimirum impensis in curatione factis, operis cessantibus, cet. (9)

AD TIT. X.
DE HIS PER QUOS AGERE POSSUMUS.

PRocurator in iure vocatur, qui negotia iudicialia, vel lites alienas domini mandato suscipit, et administrat. (1)

Itaque

---

(5) ead. l. 24. (6) ead. l. 24. in fin. et l. 20. tit. 3. lib. 6. Rec. Ind. (7) ll. 12. tit. 12. lib. 4. et 20. tit. 3. lib. 6. Rec. Ind. (8) l. 23. tit. 15. P. 7. (9) ead. l. 23. (1) l. 1. tit. 5. P. 3.

Itaque solus ille procuratoaem dare potest, qui liberam habet res suas administrandi facultatem. (2)

Non possunt igitur furiosi, prodigi, infantes, pupili, ac minores sine tutoris, aut curatoris aucto- ritate. (3)

Filiusfamilias etiam nequit constituere procuratorem, nisi in castrensi, vel quasi castrensi peculio, vel à parte alibi missus, quid ei contingat propter quod debeat litem movere. (4)

Idem ius erit in absentia patris pro suis, vel paternis negotiis, dum tamen in paternis praestet cautionem de rato. (5)

Procurator esse potest quicumque idoneus est litibus alienis suscipiendis et administrandis. (6)

Non ergo minor viginti quinque annis, furiosus, surdus, et mutus, foemina, miles, servus, infamis, et adcusatus de gravi crimine pendente adcusatione. (7)

Clericus etiam in sacris constitutus nequit esse procurator, nisi pro sua Ecclesia, Episcopo, aut Rege. (8)

Procuratoris officium extinguitur morte, sive ipsius sive domini ante litis contestationem adveniente: non tamen ita si mors post litem contestatam contingat. (9)

Tunc enim et post mortem domini conceditur procuratori negotium exequi, ac si mandans adhuc viveret, quin opus habeat heredum mandato muniri. (10) Mortuo

(2) ll. 2. et 3. eod. (3) dict. ll. (4) l. 2. eod. tit. 5. P. 3. (5) ead. l. 2. (6) l. 5. eod. (7) ll. 5. et 6. tit. 5. P. 3. 4. et 9. tit. 10. lib. 1. F. R. (8) l. 5. tit. 5. P. 3. (9) l. 23. eod. (10) dict. l. 23.

Mortuo etiam procuratore ipsius heredes si idonei fuerint coeptum iudicium prosequi valent, quod tamen usus non servat. (11)

Finitur praeterea officium procuratoris mutuo discensu, revocatione, ac renuntiatione; non tamen sine iusta causa adhuc re integra. (12)

Licet omnis qui à iure non est prohibitus procurator esse possit, nihilominus ius nostrum brevitati et ordini iudiciorum consulens, statuit ut in Supraemis Senatibus certus procuratorum numerus constituatur. (13)

Ii antequam officium suscipiant examinandi sunt, ac si idonei reperti fuerint, iurare debent se fideliter munus exequuturos. (14)

Nequeunt tamen huiusmodi procuratores petitiones, ac deffensiones in iudicio exhibere nisi advocati subscriptione munitas, praeter eas quae parvi momenti iudicantur: hispanice, *peticiones para acusar reveldias, ó pedir proroga de terminos.* (15)

AD TIT. XI. DE SATISDATIONIBUS.

SAtisdatio iudicialis de qua hic sermo; est actus quo adversario securitas praestatur.

Cum enim reipublicae intersit ne iudicia fiant illus-

(11) ead. l. 23. (12) ll. 23. et 24. eod. tit. (13) ll. 1. tit. 24. lib. 2. Rec. Cast. et l. 1 tit. 28. lib. 2. Rec. Ind. (14) ead. l. 1. tit. 24. lib. 2. Rec. Cast. et 4. tit. 28. lib. 2. Rec. Ind. (15) l. 2. tit. 28. Rec. Ind.

illussoria hinc aequissimum est, ut plerumque reus, nonnumquam actor cautionem praestare teneantur.

Hae autem iudiciales cautiones saepius fideiussoriae esse debent, datis scilicet fideiussoribus idoneis, qui et solvendo sint, et facile possint conveniri. (1)

Praecipuae harum sunt, quas hispano idoimate vocant: *Fianza de saneamiento, de las leyes de Toledo, y de Madrid, de la baz, y depositaria.*

Satisdatio de *saneamiento* dicta datur à reo, in bonis pignerato, ne in carcerem mittatur, nisi privilegio gaudeat personali, veluti nobilitatis, cet. (2)

Igitur datis fideiussoribus cavere debet reus bona pignerata propria esse, ac solutioni debiti, et expensarum sufficere. (3)

Toletanae legis fideiussio praestatur in iudicio executivo, eaque omnino requiritur, ut exequi possit sententia addictionis bonorum: *de trance, y remate.* (4)

Ea itaque fideussor spondet creditorem restituturum debitori quidquid acceperit, cum poena dupli, si addictionis sententia fuerit revocata. (5)

Poena autem dupli in usu non est, neque quod debitor umquam similem fideiussionem praestet, licet utrumque praecipiatur à lege. (6)

In executionibus descendentibus ex arbitrorum sententia aut transactione, fideiussio praestanda legis Matriti dicitur, ac poena dupli non imponitur (7)

Sa-

---

(1) arg. ll. (2) l. 19. tit. 21. lib. 4. Rec. Cast. (3) arg. dict. l. 19. (4) l. 2. eod. tit. 21. lib. 4. Rec. Cast. (5) dict. l. 2. (6) ead. l. 2. (7) l. 4. tit. 21. lib. 4. Rec. Cast.

Satisdatio adpellata *de la haz* locum habet in causis cum civilibus, tum criminalibus: in illis quando reus bona immobilia non possidet, aut est de fuga suspectus: in istis vero quando non alia imminet poena, nisi pecuniaria. (8)

Duobus vero modis constitui potest: vel enim cavet fideiussor reum venturum in iudicium, et tunc adpellatur de iudicio sisti, hispanice: *de estar à derecho.* (9)

Vel promittit se soluturum quod iudex causa cognita iusserit reum solvere, et tunc hispanice *de pagar jusgado, y sentenciado,* dicitur. (10)

Fideiussio quam *carcelera* vocant, ad id unice tendit, ut reus in carcerem detrussus, ab eodem liberetur. (11)

Fideiussor enim veluti *Commentariensis* rei custodiam in se suscipit sub poena, illumque in iudicio sistere promittit quoties iudex praecipiat. (12)

In iudicio demum creditorum concursus datur et alia satisdatio, *depositaria,* sive *de acreedor de mejor derecho* vulgo numcupata. (13)

Hac cavet creditor quantitatem sibi competentem secundum primam sententiam qua credita per gradus aestimantur, restiturum ire, si alius potiori iure praeditus occurrat. (14)

AD

---

(8) ll. 2. tit. 18. lib. 3. For. Reg. et 41. tit. 2. P. 3. 17. tit. 12. P. 5. et 16. tit. 1. P. 7. (9) ll. 41. tit. 2. P. 3. et 3. tit. 16. lib. 5. Rec. Cast. (10) l. 7. tit. 20. lib. 2. Rec. Cast. (11) l. 10. tit. 29. P. 7. (12) ll. 17. et 18. tit. 12. P. 5. et 10. tit. 29. P. 7. (13) l. 12. tit. 16. lib. 5. Rec. Cast. (14) ead. l. 12.

AD TIT. XII.
DE PERPETUIS, ET TEMPORALIBUS ACTIONIBUS, ET QUAE AD HEREDES, ET IN HEREDES TRANSEUNT.

PErpetuae dicuntur actiones, quae nonnisi longi temporis praescriptione tolluntur: temporales è contra, quae brevi temporis spatio durant.

Huius generis praescriptio non est á iuris ratione aliena cum actiones veluti res incorporales in nostris bonis sint, quae omnia tempore amittuntur. (1)

Igitur actiones reales cum ex iure in re nascantur, tantum durant, quantum opus est, ut res ipsa á possessore praescribatur. (2)

Itaque si res mobilis est, actio praescribitur triennio, sin immobilis, decennio inter praesentes, vicennio inter absentes. (3)

Actiones personales in iudicio ordinario instituendae, sive ante, sive postquam litterae exequutoriae expediantur, aut sententia transeat in rem iudicatam, viginti annorum spatio tolluntur. (4)

Ipsum vero ius exequendi, sive actio illa ex obligatione personali orta qua debitorem petimus pignerari, decem annis finitur. (5)

Mixtae demum actiones ex reali et personali, veluti cum pignus, vel hypoteca est constituta, triginta annos durant. (6)

Haec

(1) l. 1. tit. 30. P. 3. (2) arg. ll. 9. 17. et 19. tit. 29. P. 3. (3) dict. ll. (4) l. 6. tit. 15. lib. 4. Rec. Cast. (5) dict. l. (6. eod. (6) ead. l. 6.

Haec vero actionum personalium praescriptio cum in solutionis praesumptione fundetur, si reus debitum confiteatur, actionem reviviscere probabilius iudicamus. (7)

Brevi temporis spatio, scilicet, trium annorum praescribitur actio famulis competens propter servitia in domini commodum praestita, nec non et honoraria Advocatorum, et Procuratorum. (8)

Eodem etiam tempore praescribitur ea quae competit pharmacopolis, nugivendis, vulgo *Boticarios, joyeros*, coeterisque officialibus mechanicis, eisque qui tabernas in quibus edulia venduntur habent. (9)

Actiones rescindentes actum aliquem fere omnes temporales sunt, et brevi temporis spatio expirant.

Hinc restitutiones in integrum quadriennio finiuntur, excepta ea quae Ecclesiis, fisco, aut Civitatibus conceditur ob laessionem enormem, quae ad triginta annos protrahitur. (10)

Redhibitoria demum, quae species quaedam restitutionis in integrum videri potest, uno anno; quanti minoris, sex mensibus finitur. (11)

Haec de actionibus civilibus: si vero de criminalibus sermo sit, actiones ad adcusandum ex delictis publicis ortae, durant viginti annos. (12)

Hoc tamen locum habet nisi crimen continuetur:

(7) l. 3. in princ. tit. 13. lib. 3. Ordin Reg. (8) ll. 32. tit. 16. lib. 2. et 9. tit. 15. lib. 4. Rec. Cast. (9) ead. l. 9. (10) ll. 2. 3. 5. et 10. tit. 19. P. 6. (11) l. 65. tit. 5. P. 5. (12) arg. l. 5. tit. 7. P. 7.

tur: frustra enim praescriptionem opponeret, qui per totos viginti annos delictum perpetrasset.

Excipiuntur etiam delicta carnis, veluti adulterium, stuprum, cet. quorum adcusatio ordinariè tantum ad quinque annos extenditur. (13)

Actiones ex gravissimis ortae delictis puta heresis, simonia, aut crimen laesse Maiestatis verè sunt perpetuae, ac nullo umquam tempore expirant. (14)

Ex privatis delictis provenientes viginti annos durare existimant DD. nisi pro aliquibus plus, vel minus temporis in iure reperiatur designatum, sicut in actione iniuriarum, et de dolo. (15)

Quod spectat ad actiones, quae ad heredes, et in heredes transeunt, vel non, hae duae regulae sunt servandae.

I. Omnes actiones rei persequutoriae, sive ex contractu, sive ex delicto sint, heredibus, et adversus heredes dantur. (16)

II. Poenales vero nec heredibus, nec adversus heredes competunt, nisi lis cum defuncto contestata fuerit. (17)

AD TIT. XIII. ET XIV. DE EXCEPTIONIBUS ET REPLICATIONIBUS.

POstquam actor in iudicio actionem suam proponit,

---

(13) ll. 3. et 4. tit. 17. et 1. tit. 18. P. 7. (14) arg. l. 7. et 8. tit. 1. P. 7. (15) ll. 22. tit. 9. et 6. tit. 16. P. 7. (16) ll. 25. tit. 1. 23. tit. 9. et 20. tit. 14. Partit. 7. (17) dict. l. 25. tit. 1. et 20. tit. 14. P. 7.

uit, eius notitia reo defertur, qui dum respondet adfirmando, vel negando rem ita se habere, dicitur litem contestare. (1)

Igitur litis contestatio alia est negativa cum ius, vel factum actionem fundans contradicitur: adfirmativa alia, cum admittitur quidem, at exceptione propulsatur. (2)

Exceptio itaque prout in iure nostro accipitur, est adlegatio iuris vel facti, quo actio eliditur, aut suspenditur. (3)

Quando totam actionem atque intentionem actoris perimunt dicuntur peremptoriae, atque etiam perpetuae: dilatoriae vero, ac temporales, si illam ad tempus differunt. (4)

Primi generis sunt: solutio, compensatio, debiti remissio cet. secundi vero: iudicis incompetentia, partis non legitimitas, tempus feriatum, necnon moratoriae à supremis tribunalibus indultae (5)

Dilatoriae intra terminum á iure concessum ad litem contestandam, scilicet, intra novem dies sunt adlegandae: ad peremptorias vero alii viginti dies conceduntur à lite contestata computandos. (6)

Relato termino transacto exceptiones etsi peremptoriae facile admittendae non sunt, nisi iurante reo sibi fuisse ante ignotas, nec malitiose tam seró ab eo proponi. (7)

At

---

(1) ll 7. tit. 3. et 3. tit. 10. P. 3. (2) dict. ll. (3) ll. 8. et 9. tit. 3. P. 3. et 1. tit. 5. lib. 4. Rec. Cast. (4) dict. ll. (5) ll. 9. 10. et 11. tit. 3. P. 3. et 95. tit, 15. lib. 2. Rec. Ind. (6) l. 1. tit. 5. lib. 4. Rec. Cast. (7) ead. l. 1.

At qui beneficio gaudent restitutionis, veluti Ecclesiae, minores, cet. illud semel impetrare possunt ante sententiam ad novas exceptiones producendas. (8)

Verum sicuti reo licet adversus actorem exceptione uti ad eius actionem excludendam: ita quoque actori ius est replicatione, rei exceptionem infirmare. (9)

Igitur replicatio nihil aliud est, quam secunda actoris adlegatio ad firmandam actionem suam adversus exceptionem à reo oppositam. (10)

Nova vero illa adlegatio rei qua replicationem actoris excludere conatur, *duplicatio* dicitur, et ad utramque perficiendam tam actori quam reo sex dies conceduntur. (11)

Ne autem adlegationum, et replicationum numerus nimium excresceret, statutum est ut ultra duplicationem progresus non detur. (12)

Duplicatione ergo ad summum facta si qua in adlegationibus sunt obscura aut dubia, probatio à iudice est indicenda, et quidem intra terminos à iure constitutos. (13)

AD TIT. VX.
DE INTERDICTIS.

INterdicta adpellantur actiones illae ad disceptandum de vera, vel quasi possessione destinatae, et quidem in iudicio brevi, et summario. (1) Iis

(8) ll. 5. et 6. tit. 5. lib. 4. Rec. Cast. (9) l. 2. tit. 5. lib. 4. Rec. Cast. (10) ead. l. 2. (11) dict. l. 2. (12) l. 9. tit. 6. lib. 4. Rec. Cast. (13) ll. 1. 2. 3. et 9. tit. 6. lib. 4. Rec. Cast. (1) arg. ll. 27. et 29. tit. 2. P. 3. et 2. tit. 14. P. 6.

Iis vero actionibus non de possessione naturali litigatur qua quis rem nude detinet; sed de civili, quae est detentio cum animo rem sibi habendi. (2)

Cumque haec magni momenti sit, non patitur ius lites circa eam exortas esse diuturnas; sed praecipit ut breviter decernatur, quis debeat possidere, vel quomodo. (3)

Quamvis vero interdicta maxime ex causa possessionis dentur, quaedam tamen inventa sunt, quae ex causa proprietatis oriuntur.

Ea sunt vel prohibitoria, quibus petimus aliquem prohiberi facere quid, quod vel publicae, vel nostrae possessionem nocet, veluti in interdicto *novi operis nuntiationis*, (4)

Vel exhibitoria, quando res mobilis à iudice praecipitur exhiberi illi cuius interest: et demum restitutoria, quibus aliquid nobis ablatum restitui petimus. (5)

Alia interdicta sunt quibus possessionem nondum habitám; iure tamen nobis debitam exposcimus, dicunturque *adipiscendae possessionis*.

Tale est illud quud heredibus conceditur contra eum, qui hereditatem pro herede, vel pro possessore possidet, ad consequendam hereditatis possessionem. (6)

Alia dicuntur *retinendae possessionis*, quibus possessionem nactam conservare adnitimur.

Dan

---

(2) arg. l. 27. in med. tit. 2. P. 3. (3) l. 28. tit. 2. P. 3. (4) ll. 1. et seq. tit. 32. P. 3. (5) ll. 16. et seq. tit. 2. P. 3. et 9. et 10. tit. 10. P. 7. (6) l. 3. ti.. 13. lib. 4. Rec. Cast.

Dantur itaque ei qui rem mobilem, aut immobilem tempore litis contestae nec vi, nec clam nec praecario possidet, adversus turbantem, ut in possessione protegatur. (7)

Hinc insuper cautum est, ut qui ita rem per annum et diem possederit cum bona fide, iusto titulo, scienteque eo, qui rem petit, in possessione sua turbari nequeat. (8)

Demum *recuperandae possessionis* adpellantur alia interdicta, quibus de amissa possessione iterum nanciscenda laboramus.

Potissimum est illud quod competit ei, qui per vim à possessione rei immobilis deiectus est, adversus deiicientem ad restituendam possessionem cum fructibus, ac damnum datum resarciendum. (9)

Competit hoc interdictum etiam si iudex sit qui deiecit aliquem nec citatum, nec auditum: in quo casu deiecto intra triduum possessio est restituenda. (10)

Supradicta locum habent etiam si adversarius Regio diplomate sit munitus, quod uppote contra inauditam partem expeditum, nullius roboris esse debet. (11)

Pinguius tamen remedium ius canonicum invexit actione dicta *de spolio*, qua spoliatus agit non modo de re immobili; sed et de mobili, non modo adversus spoliantem; sed et adversus quemcumque possessorem. (12)

AD

(7) l. 29. tit. 2. P. 3. (8) l. 3. tit. 15. lib. 4. R. Cast. (9) l. 10. tit. 10. P. 7. (10) l. 2. tit. 13. lib. 4. R. C. (11) ll. 2. et ult. eod. tit. 13. lib. 4. Rec. Cast. (12) Cap. 18. de restit. spoliat

AD TIT. XVI.
DE POENA TEMERE LITIGANTIUM.

POenae temere litigantium dicuntur media illa à iure inventa ad cöercendam temeritatem eorum, qui dolo, vel malicia litem intendunt, aut excipiuntur. (1)

Primus modus quo coercetur illa temeritas est iusiurandum calumniae, eo fine in tribunalibus inventum, ut sine calumniis expedirentur iudicia. (2)

Semper enim homines, licet scelesti religione iuramenti terrentur, quo Deum ipsum invocant, non modo uti veritatis testem, sed etiam ut perfidiae ultorem. (3)

Eiusmodi iuramentum praestare coguntur tum actor, tum reus: actor, quod credens se iustam, bonamque causam habere actionem intenderit: reus, quod putans sibi ius favere ad inficiandum venerit. (4)

Uterque demum tenetur adserere nihil calumniose, et improbe facturus, fraudesque quascumque ad alium vexandum omissurus. (5)

Non modo actor et reus iurare de calumnia obligantur, verum etiam ubi iudici, vel adversario libuerit eorum Advocati: alias non nisi in ingresu sui muneris, et semel quotannis. (6)

Hoc iuramentum in ipso litis exordio, sive post litem contstatam defertur: quod si principio omissum fuerit, in quacumque iudicii parte deferri poterit. (7)

Et

(1) l. 8. tit. 22. P. 3. (2) ll. 8. in princ. tit. 10. et 23. tit 11. P. 3. (3) l. 8. in fin. tit. 10. P. 3. (4) ll. 23. tit. 11. P. 3. (5) l. ead. (6) l. 2. tit. 16. lib. 2. R. C. (7) ll. 23. tit. 11. P. 3.

Et quidem ea adiecta poena, ut actor de calumnia iurare renuens ab instituta cadat actione: reus vero pro confesso habeatur. (8)

Temerarii etiam litigantes, sive qui nullo probabili iure suffulti litigarunt, in litis expensas sunt mulctandi. (9)

Demum qui in criminali iudicio calumniandi animo actionem intendit, praestet impensarum solutionem eadem poena debet puniri, qua reus esset puniendus si ei delictum probaretur. (10)

Reus vero illicitis deffensionibus utens praeter poenam delicto correspondentem, ignominia adficitur, ac expensis condemnatur. (11)

AD TIT. XVII. DE OFFICIO IUDICIS.

IUdex est persona auctoritate publica constituta ad ius inter litigantes dicendum, adque exequendum. (1)

Qui iurisdictionem habet iure proprio, seu ratione officii vocatur ordinarius: delegatus vero, qui eam exercet ex commisione alterius cuius vice fungitur. (2)

Iudicis officium expostulat ut recte iudicet, videlicet, iuxta leges et mores vim legis obtinentes, idque secundum adlegata, et probata. (3) In

(8) ead. l. 23. (9) ll. 30. tit. 2. et 8. tit. 22. P. 3. (10) ll. 5. et 27. tit. 1. P. 7. (11) l. 5. tit. 6. P. 7. (1) l. 1. tit. 4. P. 3. (2) ead. l. 1. et 3. tit. 9. lib. 3. Rec. Cast. (3) ll. 7. tit. 9. lib. 3. For. Reg. 10. tit. 17. lib. 4. Rec. Cast. et 1. 2. et 4. tit. 1. lib. 2. Rec. Ind.

In ferenda sententia eam discretionem servare debet, ut si quem condemnet in quantitate pecuniaria decem dies ad solutionem concedat: si vero in certae speciei restitutione, intra triduum restituere iubeat. (4)

Tandem cum iudex quaedam impertiatur rogatus, quaedam ex officio decernat, etiam non rogatus; officium eius in *mercenarium*, et *nobile* communiter dividitur.

AD TIT. XVIII.
DE PUBLICIS IUDICIIS.

PUblica delicta adpellavimus illa quibus sacratiora reipublicae iura immediate violantur (1)

Hinc licet iure nostro fere in cunctis delictis privatis omnibus pateat adcusatio; in his praecipue (adulterio excepto) unicuique civi competit reipublicae malo occurrere. (2)

Inter haec, primum locum obtinet crimen laesae Maiestatis; illorum nempe, qui contra rempublicam, vel summam Principis potestatem aliquid moliti sunt. (3)

Est autem hoc crimen duplex: *perduellionis*, scilicet, et *maiestatis* in specie.

Perduellionis crimine se obstringit, qui hostili animo adversus rempublicam, vel Principem se prodit: maiestatis in specie reus fit, qui iura maiestatis

E usurpat

(4) ll. 5. tit. 27. P. 3. et 6. tit. 17. lib. 4. Rec. Cast. (1) arg. l. 3. tit. 2. P. 7. (2) l. 2. tit. 1. P. 7. (3) l. 1. tit. 2. P. 7.

usurpat, aut aliquid verbis, vel factis sine animo hostili in contumeliam Principis committit. (4)

Poenae perduelli impositae sunt: ultimum suplicium, euiusque memoria ita damnatur post mortem ut domus in qua habitabat diruatur. (5)

Damnati etiam bona omnia fisco addicuntur, sola uxoris dote exepta, atque ere alieno ante sceleris perpetrationem contractuo. (6)

Liberi quoque eorum imfames fiunt, omni spe ullius dignitatis excluduntur, atque hereditate, non paterna tantum, sed et extraneorum privantur. (7)

Rei criminis laessae maiestatis speciatim dicti, nec adcusantur post mortem, et mitius puniuntur, prout exigunt facti admissi circunstantiae. (8)

Publica etîam sunt carnis delicta, adulterium videlicet, incestum, stuprum, nefandao, ac monstruosa libidine, et lenocinium. (9)

Adulterium prout in iure nostro accipitur, est mulieris alii nuptae vitiatio. (10)

Poenae vero reis huius criminis à legibus impositae in desuetudinem merito abierunt; quare hodie arbitrio iudicis gravi poena puniuntur, non autem capitali. (11)

Eodem modo plectuntur incestuosi: illi nimirum qui

---

(4) ll. 1. et 3. tit. 2. P. 7. et 1. tit. 18. lib. 8. Rec. Cast. (5) ll. 6. tit. 13. P. 2. et 2. tit. 2. P. 7. (6) dict. l. 2. (7) dict. l. 2. tit. 2. P. 7. (8) l. 3. eod. (9) Prol. tit. 17. l. 2. tit. 18. 2. tit. 19. 1. et 2. tit. 20. et tot. tit. 22. P. 7. (10) l. 1. tit. 17. P. 7. (11) ll. 15. eod. tit. 1. 2. et 3. tit. 20. lib. 8. Rec. Cast. et 4. tit. 8. lib. 7. Rec. Ind.

qui propinquitatem ex consanguinitate, aut adfinitate ortam, carnis crimine macularunt, licet eorum poena esset capitalis. (12)

*S*tuprum est vitium virgini, vel viduae honestè viventi, sine vi illatum. (13)

Eius poena in honestis personis erat publicatio dimidiae partis bonorum, et in humilibus corporis coercitio, et relegatio. (14)

Hodie illud fere mulcta pecuniaria expiatur: et praeterea stuprata habet actionem ad alimenta proli constituenda, et ad donationem.

Lenocinium committitur, quando quis foeminas, aliis quaestus causa prostituit. (15)

Crimen hoc detestandum, et cum maximo humani generis detrimento coniunctum, variis poenis vidicatur pro diversis modis quibus committitur. (16)

Monstruosae demum, ac nefandae veneris rei eodem genere suplicii quo Deus Sodomitas olim perdidit, vivicomburio, nimirum plecti debent, addita publicatione omnium bonorum. (17)

Homicidium etiam, sive crimen illud quo dolo malo vita homini adimitur, inter publica merito recensetur, ac supendio punitur, cum maxime intersit sacrosanctam haberi hominum vitam. (18)

Par-

(12) ll. 1. tit. 18. P. 7. et 7. tit. 20. lib. 8. Rec. Cast. (13) l. 1. tit. 19. P. 7. (14) ll. 1. et 2. eod. tit. et cap. 1. de Adult. et Stupr. (15) l. 1. et 2. tit. 22. P. 7. (16) dict. ll. 1. et 2. eod. tit. (17) ll. 1. et 2. tit. 21. P. 7. et 1. et 2. tit. 21. lib. 8. Rec. Cast. (18) ll. 1. tit. 8. P. 7. et 4. et 10. tit. 23. lib. 8. Rec. Cast.

Parricidium species quaedam homicidii est, gravius tamen utpote inter proximos cognatos admissum. (19)

Eius poena in eo consistit quod parricida publicê flagellis caedatur, ac cum cane, gallo, vipera et simia culleo insutus in mare proiiciatur. (20)

Usu vero servatur, ut huius criminis reus furca suspendatur, atque in corio in quo depicta adpareant praedicta animalia, in proximum mare, vel flumen iaciatur.

Falsitatis publicum crimen multis modis committitur: omnes vero in veritatis simulatione, ac supraessione consistunt. (21)

Praecipuum est crimen illius qui falsam monetam cudit, cuius poena est vivicomburium, ac publicatio dimidiae partis bonorum. (22)

Crimen repetundarum committitur ab iis qui in munere suo iniuste accipiunt pecuniam, velui iudices qui se auro corrumpi patiuntur. (23)

Igitur iudex qui pecunia corruptus iustitiam posthabuit, si id evenit in causa civili, poena ei imposita est, tantumdem parti reddere quantum amissit, cum damnis iniuste illatis. (24)

Triplum etiam eius quod recepit fisco solvere tenetur: sententia ita prolata ipso iure nulla est, atque

---

(19) l. 12. tit. 8. P. 7. (20) ead. l. 12. (21) l. 1. et seq. tit. 7. P. 7. (22) ll. 9. et 10. tit. 7. P. 7. et 5. tit. 17. lib. 8. Rec. Cast. (23) ll. 24. et 25. tit. 22. P. 3. et 68. et seq. tit. 16. lib. 2. Rec. Ind. (24) l. 24. tit. 22. P. 3. et 7. tit. 7. lib. 3. Rec. Cast.

que infamia notatur ablato ei honore iudicandi. (25)

Si autem causa criminalis fuerit, poena reo iniustè imposita iudici est imponenda, ac praeter infamiae dedecus, omnium bonorum publicatione multatur. (26)

Criminis ambitus rei sunt qui pecunia redimunt magistratus, et officia publica, quae iustitiae administrationem habent annexam. (27)

Tandem publicum delictum est, et à quocumque de populo accusari potest, flagellare annonam, quo nomine veniunt ea omnia, quae ad victum humanum pertinent. (28)

Id faciunt *propolae* hispanicè *regatones*, ita dicti quia vilius emere, et carius vendere cibaria omnimodae necessitatis pro arte exercent. (29)

In eis animadvertitur poenis tum amissionis illarum mercium, tum exilii, verberum, aut mulctae pecuniariae. (30)

---

(25) dict. l. 24. (26) ll. 24. et 25. tit. 22. P. 3. (27) ll. 1. et 13. tit. 2. lib. 3. Rec. Ind. (28) l. 1. tit. 14. lib. 5. Rec. Cast. (29) ll. 19. et 24. tit. 11. lib. 5. Rec. Cast. et 5. et 7. tit. 14. lib. 4. Rec. Ind. (30) ll. 12. tit. 14. Rec. Cast. et Sen. Cons. 1. ac 2. eod. tit. lib. 5. Rec. Cast.

Imprimatur.
Dr. Pavon Rector.